



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sectio 1. De Prærequisitis ad Controversiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

dominium; etenim sicut homo, & animal se habent, ut species, & genus, atque adeò non potest esse homo, quin sit animal. At potest esse animal, quin sit homo; ita & dominium proprietatis, & jus se habent tanquam species, & genus, proindeque non potest inveniri illud dominium sine jure, potest tamen reperiri jus sine eo dominio; ille siquidem, qui jus duntaxat habet ad rem, & non in re, licet reverà jus habeat, non est Dominus rei; quare jus solum ad rem non sufficit ad dominium; quin potius, ut plures alii contendunt, datur etiam jus in re, sine dominio; cæterum hujus sententiæ fundamentum nullius esse roboris, constabit à num. 259. Quare melius alii cum Corrado lib. de contract. Tract. 1. quæst. 1. censent, neminem posse habere jus in re, nisi circa rem suam; at cum ista sitas aliquando sit iatis ad dominium plenum, aliquando sufficiat duntaxat ad non plenum, quærimus, quid sit dominium plenum, quid non plenum, & licet controversia præcipue sit de dominio creato, ex illius tamen resolutione facile deducemus, quid sit dicendum de dominio Divino.

SECTION I.

De prærequisitis ad Controversiam.

256. Suppono 1. dominium proprietatis creaturæ conveniens aliud esse plenum, perfectum, sive insolidum, aliud verò non plenum, non perfectum, neque insolidum. Primum est illud, quod in ratione ad dominium pertinente nullum defectum includit neque ex parte subjecti, neque ex parte objecti. Secundum est illud, cui vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti deficit aliqua ratio ad dominium pertinens, sive, quod idem est, deficit aliqua particula spectans ad dominium creatum proprietatis; subjectum domini dicitur ea persona, seu natura rationalis, cui dominium inest. Objectum dicitur ea res, cui dominatur.

257. Quare ex parte subjecti tunc erit dominium non plenum, quando licet aliquis totam rem possideat, non illam possidet solus dominiò suo, sed etiam alii dominiò ipsorum eandem rem quoque possident, ut contingit, cum Petrus, & Paulus utriusque pecunià emunt pro individuo, & accipiunt rem aliquam inter ipsos dividendâ; tunc enim antequam fiat divisio, unusquisque possidet rem totam totalitate rei, non totalitate domini; ad eum modum, quo quando duæ causæ pariales concurrunt ad producendum eundem effectum, unaquæque producit totaliter totalitate effectus, non verò totalitate causæ, eò quòd vires, quas exerit una causâ, non essent sufficientes ad producendum illum effectum, nisi conjungerentur cum viribus, quas exerit altera causâ; quod etiam contingit, quando aliqui ad eum (id est juridicè acceptant) hæreditatem nondum divisam, quæ dividenda est inter ipsos.

R. P. Germax Theolog. Tom. II.

Tum etiam ex parte objecti erit dominium non plenum, quando ita duo rem aliquam possident, ut neuter habeat totum integrum jus, sed unus unam, & alter alteram partem integri juris, ut quando ad unum pertinet proprietates domus, & ad alterum habitatio, seu usufructus; hinc est, quòd plures Jurisconsulti, quos Theologi sequuntur, explicandò Bartholi verba, quæ habentur supra L. si quis vi, §. differentia, ff. de acquirend. vel amitt. possess. dominium dividunt in directum, nudum, utile nudum, & directum simul, & utile. Dominium directum nudum est jus in propriam rem reservata inter aliam alteri utilitate per jus illi concessa. Tale dominium habet, qui retinet proprietatem agri, sed jure fructuum caret. Dominium utile nudum est jus percipiendi omnem, vel saltem aliquam utilitatem ex re aliena; tale dominium habet merus usufructuarius, emphyteuta, & feudatarius. Dominium directum, & utile simul dici solet jus perfectè disponendi de re absque eo, quòd utilitas alteri sit reservata. Unde dominium utile subdividitur in usumfructum, usum nudum, habitationem, aliasque hujus generis species, quas num. 215. dædi.

239. Quamobrem dominium directum nudum, licet maneat sine jure ad percipiend. utilitates, quæ manibus, vel quasi manibus contrahari possunt, at non destitutum omni proprius utilitate. Manet quippe cum aliquo jure proprietatis in re, quod nempe in humanis semper est utile habenti, & capax pariendi utilitatem; unde si in humanis nulla omnino maneret utilitas Domino, nullum manere posset jus, & dominium creatum. Nec dubium esse potest, quòd sit utile Domino proprietatis, ut jus usufructuarii possit variis modis extinguì, & quòd ex illo redeat ad proprietarium iterum reuniendum cum dominio proprietatis, ut statuitur L. omnium prædiorum, §. constituitur, ff. de usufructu, his verbis: Ne tamen in universum inutiles essent proprietates semper abscedente usufructu, placuit certis modis extinguì usumfructum, & ad proprietatem reverti.

240. Quod etiam habetur S. usufructus Instir. eodem Tit. ubi adducuntur modi, quibus extinguitur usufructus per hæc verba: Finitur autem usufructus morte usufructuarii, & duabus capitis diminutionibus, maxima, & media, & non utendo per modum, & tempus, quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur usufructus, si Domino proprietatis ab usufructu cedatur; nam cedendò extraneo nihil agitur, vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio dicitur; eo amplius constat, si ades incendio consumptæ fuerint, vel etiam terra motu, vel vitio suo corruerint, extinguì usum fructum necesse est, & nec arca quidem usumfructum deberi; cum autem finitus totus fuerit usufructus, revertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nuda proprietatis Dominus incipit plenam in re habere potestatem; ex quibus patet, dominium plenum, perfectum

ctum, & insolidum debere esse tale, ut neque ex parte objecti deficiat illi ratio aliqua ad dominium creatum spectans, alioquin ex illo defectu jam non diceretur plenum, & perfectum, cum perfectum esse non possit, nisi sit ex integra causa.

241. Suppono 2. cum Molina Tract. 2. disp. 3. dominium non plenum proprietatis aliud dici dominium simpliciter propriè, & aliud secundum quid. Illud est simpliciter propriè, quod prævalet alteri circa eandem rem, ut constat ex dictis num. 31. de actibus humanis. Illud est dominium secundum quid, quod circa eandem rem est valde inferius. Sic Æthiops, quia est albus tantum secundum dentes, & niger secundum reliquas corporis partes, habet nigredinè prævalentem albedini, ideoque dicitur simpliciter niger, & secundum quid albus. Pariter si Petrus habeat circa domum dominium proprietatis, & Paulus duntaxat dominium usufructus, Petrus habebit dominium circa essentiam, & substantiam rei, quæ simpliciter est sua; Paulus verò, cum utatur re aliena simpliciter salvâ ejus substantiâ, habet dominium circa rem secundum quid, sive quoad effectum, vel accidentia rei, cum autem dominium circa essentiam, & substantiam rei prævaleat dominio circa ejusdem rei effectum, & accidentia, exinde Petrus dicitur simpliciter propriè Dominus, & Paulus dicitur Dominus tantum secundum quid; ex quo conciliantur leges, quæ dicunt, usufructuarium esse Dominum, qualis est *L. usus fructus, ff. de usufructu*, ubi dicitur: *usufructus in multis casibus pars domini est*, cum legibus, quæ id negant, qualis est *L. agri civitatum ff. si ager vectigalis*, ubi de usufructuariis dicitur, *quamvis non efficiantur Domini*; nam leges affirmantes loquuntur de dominio simpliciter, & non de dominio secundum quid; leges verò negantes non negant de dominio secundum quid, sed de dominio simpliciter.

242. Suppono 3. Dominium proprietatis distingui à dominio jurisdictionis ad eum modum, quo jura ipsa inter se distinguuntur, ut diximus num. 8. 54. & 193. Unde controversia præsens non instituitur de jure jurisdictionis, sive hoc sit emphiteuticum, & per se ordinatum ad spirituale bonum subditorum, ex quo Prælati potius, quam Domini vocantur Patres Lucae 22. vers. 25. & 2. Corinth. 1. vers. 24. & 1. Petri 5. vers. 3. sive dominium illud sit politicum, & per se directè ordinatum ad temporalem felicitatem, publicamque utilitatem, quod subdividi solet in Democratiam, quando communitas ipsa populi imperat; in Holicratiam, quando penes paucos residet imperium; Aristocratiam, quando penes Optimates; & Monarchiam, quando penes unum tantum. Nihilominus (quod valde notandum est) dominium jurisdictionis, & proprietatis in eo conveniunt, quòd possint impediri, quin tollantur; quamquam enim lex aliquando tollat totum jus, & dominium, qualis juxta plurium sententiam est

illa, quæ propter commissam hæresim, aut alia delicta à die commissi delicti addicit statim fisco omnia bona extrinseca delinquentis, jura, & dominium proprietatis; aliquando tamen non tollit, sed ligat jus vel prohibendò usum licitum, vel etiam validum, ut diximus à num. 18. sic lege positiva Dominus impeditur, ne possit licitè expendere pecuniam ad emendos liberos sibi prohibitos, at emptio est valida.

Tum etiam pupillus lege impeditur, ne possit non modò licitè, verum neque validè emere, donare, vel alienare sine autoritate Tutoris, & tamen habet perfectum dominium, ut supra diximus, & constat ex Paulo ad Galatas 40. Est autem hoc magnum discrimen inter jus ablatum, vel purè ligatum, & impeditum, quòd nempe jus ligatum ablata lege ligante exercere se potest in suis actibus: at jus ablatum per legem, cum jam non maneat, licet postea auferatur lex, jam non potest se exercere in suis actibus, ad eum modum, quo ille, qui habet potentiam ambulativam ligatam, ablatis vinculis potest ambulare: ille verò, cui per vincula ablata fuisset potentia ambulativa frangendò v. g. pedes & crura, licet postea auferantur vincula, non exinde recuperat pedes, & potentiam ambulandi; sic etiam, qui habet jus ligatū ablati vinculis potest exercere actus juris; at ille, qui per legem privatus est jure, ablata postea lege, non exinde retinet jus, neque potest exercere actus juris. His positis

Bartholus in *L. si quis §. differentia* num. 4. ff. de acquirenda possess. & cum eo communiter Jurisconsulti dominium creatum plenum ita definiunt, jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Per illas particulas *jus disponendi de re corporali* intelligitur jus in re, cum jus solum ad rem satis non sit, ut homo de re ipsa disponat, ut constat à num. 1. ideoque istud est genus conveniens dominio pleno, & non pleno. Per *ly perfectè* differt dominium plenum à non pleno; per *ly nisi lege prohibeatur*, id est aut lege formali, aut æquivalenti. Traditur differentia domini creati à dominio; nam dominium Divinum, cum supra se non habeat superiorem, non est subjectū legi, aut quasi legi, à qua jus Dei possit ligari, & impediri; solum enim est impedibile per voluntatem ipsius Domini; at dominium creatum, cum superiorem respiciat, saltem Deum, potest à lege formali, vel æquivalenti per superiorem lata ligari, & impediri. Dicitur *de re corporali*, quia ut constat à num. 222. incorporea non dicuntur à Juristis possideri, sed quasi possideri, ideoque agunt de dominio earum rerum, quas manibus contrectamus, quæ proinde corporalia sunt. Cæterum quia Theologicè loquendò possidemus etiam res incorporeales, ut sunt jura eligendi, præsentandi, percipiendi fructus, & succedendi in hæreditatem, exinde Theologi eximunt ab ista definitione pleni domini illam particulam *corporale*; nihilominus quia aliqui Recentiores censent, amputandas etiam

etiam esse illas ultimas particulas, *nisi lege prohibeatur*, opus est inquirere, an illæ particulae utiles sint, vel inutiles ad explicandum plenum creaturæ dominium proprietatis, pro quo sit

SECTIO II.

Exponitur creatum dominium proprietatis.

445. **A**ssero 1. cum omnibus ferè Theologis ex doctrina Bartholi, & Jurisconsultorum tradita num. superiori, dominium creatum proprietatis plenum, sive in solidum rectè quidè exponitur per ea verba, *jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur*. Probatur 1. & explicatur simul conclusio: illa est vera, & recta explicatio creati dominii proprietatis pleni, quæ per proximum genus, & differentiam tradit adæquatam essentiam talis dominii: atqui sic se habet explicatio à nobis assignata: ergo &c. Probatur min. Per illa priora verba *jus perfectè disponendi de re*, habetur genus proximum; siquidem conveniunt tantum dominio pleno Dei, & creaturæ, secus dominio non pleno; ille namque, qui dominium plenum non habet, non potest perfectè de re disponere. Præterea per illa posteriora verba, *nisi lege prohibeatur*, formali nempe, aut æquivalente, habetur proxima, & adæquata differentia; siquidem differentiâ proximâ, & adæquatâ dominii creati pleni à Divino nulla aptior excogitari potest, quàm quæ immediatè convenit dominio creato, & non Divino: creato autem dominio quâ tali immediatè, & essentialiter convenit manere sub Deo, tanquam sub superiore, à cujus lege & ligari possit, & impediri, quod dominio Dei non convenit, cum Deus superiorem habere non possit, ac proinde neque legem, quæ ejus dominium ligari possit, & impediri. Tandem nullum est excogitabile essentialè prædicatum talis dominii creati, quod in hac definitione non comprehendatur, ut expendenti constabit: sed in eo stat, quòd ista definitio tradat per proximum genus, & differentiam adæquatam essentiam talis dominii: ergo &c.

446. Probatur 2. Ad hoc, ut Dominus possit perfectè de re disponere, opus est, ut nulla particula pertinens ad dominium desit illi, neque ex parte objecti, neque ex parte subjecti; si enim aliqua dominii particula deficeret, eo ipso quoad eam partem deficeret jus disponendi de re, ut ex terminis patet; unde non possit perfectè de re disponere: atqui dominium illud, cui neque ex parte subjecti, neque ex parte objecti desit illa particula pertinens ad dominium, est dominium plenum, & in solidum, quod proinde ab omnibus dicitur perfectum, ut constat à num. 236. ergo dominium plenum, & jus solidum optimè definitur jus perfectè disponendi de re, ac proinde dominium creatum propter subjectivam sibi essentialè ad legem saltem Dei per congruentem differentiam discernitur à domi-

nio Dei superaddendò particulas illas, *nisi lege prohibeatur*, Confirmatur. Dominium plenum præcindens à creato, & increato est jus perfectè disponendi de re; differentia autem dominii creati à Divino nulla est magis peculiaris, quàm subjectio ad legem, qua ligari possit, & impediri, ne perfectè de re disponat: nam si dicamus, esse à Deo participatum, erit assignare potius differentiam transcendentalem omni enti creato, quàm peculiarem dominio creaturæ: ergo ut definiamus rectè plenum dominium creatum, oportet apponere differentiam illam, *nisi lege prohibeatur*.

247. Respondebis eas particulas, *nisi lege prohibeatur*, non rectè adjungi pro differentia dominii pleni creati à Divino, cum non pertineant ad perfectionem dominii; siquidem dominium perfectius esset, si neque à lege, neque à præcepto Superioris, quod ad istud munus, ut diximus num. 244. est æquivalente lex, possit ligari, vel impediri. Contrà tamen 1. Dominium, quod à lege Superioris vel formali, vel æquivalente ligari non possit, neque impediri, eo ipso non esset dominium creatum, ac proinde non possit habere plenitudinem dominii in sua linea: ergo ut explicetur dominium creatum, & plenitudo dominii in linea creati dominii, opus est addere illas particulas. Contrà 2. & explicatur eadem ratio: apud omnes Philosophos, & Theologos, atque apud ipsos Adversarios prædicatum discursus est essentialis differentia hominis, per quam homo rectè definitur, & contradistinguitur ab omni non ipso, ac proinde à Deo, licet intellectus evidenter res cognoscens, quin possit discurrere, sit perfectior, ut patet in Deo, neque alia est assignabilis ratio, nisi quia virtus discursiva est perfectio in linea sua, nempe in linea intellectus creati, non verò in linea non sua, nempe intellectus Divini: ergo idem dicendum est de dominii pleni capacitate intrinseca, ut lege prohibeatur, nempe quòd sit essentialis differentia, ac proinde perfectio pertinens ad lineam dominii pleni creati, non verò ad lineam dominii Divini.

248. Contrà 3. Ad dominium creatum quâ tale nulla pertinere potest perfectio depurata ab omni imperfectione; perfectio enim depurata ab omni imperfectione nulli creaturæ convenire potest, sed soli Deo: atqui negari non potest, esse perfectionem mixtam imperfectione, quòd jus perfectè disponendi de re non destruat per quamcunque legem prohibentem, sed quòd in sensu composito talis legis maneat adhuc quantumvis ligatum, & impeditum: ergo ea intrinseca capacitas, ut lege prohibeatur, est non minus, quàm virtus discurrendi perfectio mixta imperfectione, ac proinde est capax, ut evadat essentialis differentia in linea dominii creati. Quapropter dominium creatum non plenum valde congruenter exponi potest dicendò, esse jus disponendi de re tantum imperfectè, nisi lege prohibeatur. Omitto ulteriorem explicationem, quia ex hucusque dictis facilè colligitur.